



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

116. De unguendis infirmis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De unguendis infirmis. *Ex Concilio  
Turonensi.*

C X V I. Postquam infirmus ab onere peccatorum per confessionem relevatus fuerit & à sacerdote reconciliatus , oleo sanctificato in Dei nomine inunguendus est , primum in pectori , deinde inter scapulas , cum precibus ad hanc sanctam unctionem pertinentibus , ut juxta Apostolum oratio fidei salvet infirmum &c.

De eadem re. *Ex epistola Innocentij Pape  
cap. CCCLXXXVII.*

C X V I I. Beatus enim Jacobus Apostolus in epistola sua scripsit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie , & orent super eum , unguentes eum oleo in nomine Domini , & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus ; & si in peccatis fuerit , remittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intellegi debere , quia sancto oleo chrismatis perungui possunt , quod ab Episcopo confectum non solùm sacerdotibus sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ungendum . Ceterū illud superfluum videmus adjectum , ut de Episcopo ambigatur quod Presbytero licere non dubium est . Nam idcirco Presbyteris dictum est , quia Episcopi occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt . Ceterū si Episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere & tangere chrismate , sine cunctatione potest , cuius

Decreta In-  
noc. I. c. 8.  
Burchard. lib.  
18. c. 2.